

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

simus, sed non magis curo istiusmodi insultus, quam si me femina lapillo pederet, *ἡ μὴ ἰσχυρὸν*, ut inquit Poëta. Vale in Christo JESU, à quo emendatio & pax Ecclesiæ. Amen. Datum Facchæ, Dominica Judica, Anno M. D. XXXIII.

Literis prioribus non respondiſti, quod quidem ego viderim, utinam saltem iis responderes Fuldam missis literis tuis. Iterum vale.

Georgius Wicelius,
Discip. tuus,

XXXVII.

S Miror, tibi meam epistolam cum Stunicæ annotationibus non fuisse reditā, intellexisses, nihil me separatim misisse. Sed curasse tamen diligenter, ut tibi primo quoque tempore chartæ illæ, Bononiæ ab Inacho Cardinali receptæ, rursus mitterentur. Quod te scribis ex literis ipsius intellexisse, morientem Stunicam mandasse, ne quicquam earum ederetur in vulgus, sed ad tuos usus in bonum publicum reservarentur, hoc ego non ignorabam, qui idem tibi fueram in Antapologia testatus. Expedire porro ad famam Stunicæ, ne emittantur, propterea quod multa sint in eis frivola & perperam reprehensa, tibi haud difficulter assentiar, sed ru vicissim intelligis, hoc nihilo magis ad tuam laudem pertinere, qui fateris, eundem multa benè perspexisse. Quanquam igitur neminem puto commissurum, ut quicquam edat præter mortui voluntatem, postremis vocibus testatam, erit tamen tuæ humanitatis, per occasionem facere, ut homines intelligant, Stunicam à te non profus laude sua fuisse fraudatam, ut simul tuo more fungaris officio boni viri, simul ansam tollas editionis, quam posset quispiam arripere ingratitude prætenta; nihil est aut quod specimen quemadmodum, si velim, polliceris, aliquorum perperam ab Stunica reprehensorum mittas ad me, cui nihil minus est propositum, quam Stunicæ in omni causa patrocinari, præsertim contra te adversarium potentissimum & quem summis ipse viris parem semper judicavi & ob eam rem observo, amanterque colo. Nec dubito pro tua prudentia, quin jam sublata contentione ingenuè sis admonitiones defuncti, quasunque rectas putaveris, admissurus. De verbo Pauli: *εὐσεβείᾳ* sit satis admonuisse, mihi tamen certissima ratio semper erit pluris, quam omnes interpretes, quorum neminem probabo, qui translatis dubiisq; vocabulis vertet, quod auctor proprius ac artis prodiderit. Thomam non accuso, quod loca disjunctissima conjungat, nam qui possum iter viginti dierum interponentem: sed quod frigide commentus sit itineris judæorum

rum continuationem præter mentem Pauli, ut taceam, quod nullum iter unquam fuit minus continuatum, quam illud Judæorum, qui tot annos in Arabiæ solitudine consumserunt. Ceterum hic locus admonet, ut pro mea in te singulari benevolentia & observantia illud te hortet, ne cum tibi est de oppidorum situ differendum, officianter agas, sed Strabonem, Melam, Plinium aut Ptolomæum revisas. Nam his paucis diebus dum Hieronymi Epistolas evoluerem, incidi in quædam scholia tua, ubi multo etiam magis diligentiam tuam desideravi. Scribis enim in Epistolam ad Evagrium, Rhegium esse oppidum in Græcia, Constantinopolim in Macedonia, cum hæc haud dubiè, quæ prius Byzantium dicebatur, sit in parte Thraciæ, à Macedonia profus averfa, Rhegium in Brutia, qua parvo freto Italia disjungitur à Sicilia, quod si ad magnæ Græciæ Ciceroni quoque vetus vocabulum spectasti, tamen meminisse debebas, qui Græciam simpliciter dicit, hunc non partem Italiæ videri, sed Atticam & finitissima loca designare. Memini etiam (sed locus excidit) me legere in alio tuo scholio, Urbem Nicopolim nuncupatam ex Augusti victoria, esse urbem in Thracia, quam esse constat in Epeiro prope Actium, ad quod Antonius fuit prælio superatus navali. Sed tibi videlicet imposuit, quod altera est *ἡ πόλις ἡνικαὶ ἐκ τῆς θρακίας*. In libello Ciceronis de Senectute adscriptum à te notavi, Capuam esse urbem in Apulia, quæ tamen caput est Campaniæ, & olim præter Romam Italiæ nobilissima. Nec est absimile hujus incuriæ, quod in Ciceroniano, me, quem Cordubensem esse sciebas, Lusitanis annumerasti, ut te admonui in eo, quem supradixi, libello. Ac de his quidem, quæ tamen levissima sunt, tum tibi, duntaxat non dormitanti, facilima, sed indicantia magnam negligentiam, te amicitia, ut dixi, officiique gratia admonendum putavi, admonitus ipse dicto Pauli, locorum ratione non animadversa, parum à quibusdam intellecto. Tuum erit omnia in bonam partem accipere: quod si à te secus factum intellexero, non amplius tibi officii ingratis ero molestus.

De Stunica in Fabrum Apologia judicare nihil possum, sed nec quicquam tale scriptum ab eo puto, cui quod equidem sciam, nihil rei erat cum Fabro. Quod pertinet ad librum pontificium, Græcos codices novi Testamenti, Græcorum quorundam vel malicia vel levitate fuisse depravatos, id ipsum, quod scribis, fides esse debet indubitata, quod in Græcorum ad sanitatem redeuntium fœdere inito cum Ecclesia Romana, cautum fuerit, ut Græci codices ad Romanam lectionem emendarentur. Nam quomodo poterant clarius utriq; contestari, exemplaria Romana lectionem veram & germanam retinere, Græcorum esse vitiosa? Nam quod ais, Græcam lectionem è Græcis autoribus esse petendam, diceres aliquid, si rationem Græci sermonis affirmares à Græcis commodius quam à Latinis explicari. At libros archetypos, fundamenta no-

P p p p p

stræ

stræ religionis continentes, qui Græci fuerunt à suis auctoribus scripti, cur non credamus, sanctius, gravius, & incorruptius asservatos esse in scriniis ac in bibliothecis Ecclesiæ Romanæ, quæ caput est Christianorum & semper fuit norma Catholicæ pietatis, quam in Græcia, quæ sæpè fuit hæreticorum & levissimorum hominum fraudibus & motu rerum novarum agitata: quod accidisse certum est in LXX. decreta Concilii Nicæni, quæ cum integra in scriniis ecclesiæ Romanæ asservarentur, tamen ad orientem in quibusdam ecclesiis ab hæreticis incensa sunt, in aliis ad minorem numerum redacta, sublatis videlicet, quæ ipsorum consiliis aut conatibus obstitura videbantur, ut Athanasius & ceteri Episcopi ex Alexandrina Synodo in epistola ad Marcum Papam conquerruntur, à quo exemplum decretorum ipsorum, quod petebant, receperunt. Adde quod libri tutiores ab injuriis esse solent, & minus à sciolis scholia sæpè cum scripturis confundentibus viciari, ubi à paucioribus vel leguntur vel intelliguntur, nisi forte hoc dicis placuisse in sædere, ut dictio Græca emendaretur ad latinam, quod nec est probabile, præterquam in certo aliquo loco, & nunquam factum fuisse certum habeo. Nam articulum, quem citas ex aurea bulla, licet duas aureas bullas in libro Conciliorum perlegerim, invenire nunquam potui, quam igitur dicas & unde à nobis petenda sit, obsecro te ne graveris, ad nos perscribere. Vale. Rómæ, Decimo Cal. Junii, anno à Christo nato M D XXXIII.

Tui studiosissimus

Jo. Genesis Sepulvedas.



XXXVIII.

Vives D. Erasmo, Præceptoris suo S.

Raro admodum ad me scribis, sed cum considero & molem & varietatem earum rerum, quæ in tam exactam penè ætatem & affectam valetudinem incumbunt, non solum te apud animum meum excusò, sed vehementer laudo, quod illos potissimum in dandis literis, prætereas, quos scis tibi esse amicissimos, nec eiusmodi descriptionum officia morari, minus satisfactum sibi abunde arbitrentur, amore erga se tuo, quem ex suo ipsorum in te colligunt. Quia & hoc nomine habeo & ago tibi gratias, quod me inter præcipuos tuos habes. Nam, crede mihi, non aliter silentium istud tuum interpreto. Itaque respondebis, cum licebit tibi, cum voles. Hoc tantum te precor, ut in literis, quas vel ad Goclenium vel ad Petrum Ægidium scri-